

caeterorum Ordinationes referendum duco, quae Jejuniorum temporibus fiebant; Episcopos ordinatos censo, vel vesperi Sabbati, vel mane sequentis Dominicae, etiam cum Sabbato minime jejunabatur. Id obtinuisse certe Petri hujus temporibus, hic Agnelli locus ostendit.

II. Statuas Theodorico Regi Ticini, & Ravennae positas Noster laudat, narratque, quae de Zenone Imperatore vulgo ferebantur, cui primum Ravennae Statuae equestris honor tributus sit. Svidas Leonis, qui Marciano successit, tempore, ait Indacum, quendam floruisse ea pedum pernecitate pollentem, qua brevissimo horarum spatio, longiorem viam cursu metiebatur adeo praecipiti, ut per abrupta montium civissimè ascenderet, descenderetque. Inde ortum puto vulgarem rumorem, quod idipsum Zenoni laudi venteret, quem propterea sibi Generum assumpserit Leo, cuique geniculorum patellae (ut ait Noster) deessent, Lepida sanè cursus velocissimi ratio, quam cum risu ineptiores etiam Ossologi admittent, quandoquidem si ossa illa desint, cursui ineptus homo efficiatur. Ablatam à Carolo Magno Ravennatem Statuam, postquam ille Romae à Leone III. Pontifice novus Imperator inauguratus fuerat, ante annos XXXV III., quam haec scriberentur, adjicit hic; ex quibus Agnelli scribentis tempora observavi in praemissis ad carmina operi toti praefixa.

III. Quod ait de Venetia à Langobardis occupata, & invasa, intelligendum est non de inclyta Venetorum urbe, sed de Venetorum regione. Id aliunde quam ex Paulo Warnefridi Agnellus haud accepit. Is autem lib. 2. cap. 14. Igitur, inquit, Alboin Vincentiam, Veronamque, & reliquas Venetiae civitates exceptis, Patavio, & Monfalicis, & Mantua cepit. Venetia enim non solum in parvis Insulis, quas nunc Venetias dicimus, conitat, sed ejus terminus à Pannoniae fini-

bus, usque ad Adduam fluvium protulatur. Probatur hoc annalibus libris, in quibus Pergamus civitas esse legitur Venetiarum. Nam, & de Lacu Benaco in historiis ita legitimus, Benacus Lacus Venetiarum, de quo Mincius fluvius egreditur. Venetia igitur nomine regio, non urbs intelligitur. Haec autem in aestuariis posita facilius, quam Patavium, & Monfalex, ac Mantua primum Langobardorum impetum sustinere potuit. Quod sequitur; absque bello expulsi sunt, nullo modo Historia congruit, nisi aptetur regionis Venetae urbibus illis, quae à Langobardorum incurfibus libera à Paulo dicuntur.

IV. De Alboino uxoris dolo necato Historiam, narrat Noster diversam nomenclaturam ab ea, quam Paulus memoria commendavit lib. 2. cap. 28., ubi narratur Rosmundam de Rege opprimendo consilium iniisse cum Helmige Regis Sobilpore, seu Armigero, qui auctor fuit, ut Rosmunda eadem Perideum virum fortem huic facinori patrando adhiberet. Id cum Regina curasset, adjicitur Perideum negasse, se tantum nefas admissurum, quare illa furtim Vestiarum loco cum Perideo concubuit, eumque per id ad necem Regis patranda adegit. Hinc Paulus ipse tradit Helmigem se uti Rosmundae maritum egisse, usque dum uterque Ravennae veneno sumpto occubuerit. Omnia Noster de Helmige narrat, nec de Perideo habet quidpiam; & sanè mirum si Perideus, qui cum Regina concubuerat, quique facinus ingens ob id patrauerat, patienter toleravit, ut sibi Helmiges praeretur. Illud ea in re mihi certum est facti hujus Historiam aliunde, quam à Paulo, Agnello descriptam, qui etiam Alboini necem certo die designat IV. videlicet Kal. Julias, & Rosmundam cum Helmige Ravennam appulisse tradit Augusto mense, quod Paulus silet, licet stabiliendo tempore, quo primum Alboinus regnare cepit, admodum inserviat.

## V I T A J O H A N N I S. CAPUT UNICUM.

*Johannis Patria. Basilica S. Severi finita, ac S. Severi Corpus translatum.  
Ejusdem obitus. Sepulcrum, & epitaphium ad Oratorium  
SS. Marci, Marcellini, ac Feliculae.*

### DE SANCTO JOHANNI ROMANO XXIX.

**J**ohannes Romanus XXIX. Johannes gratia Dei interpretatur. Iste non de ovibus istis, sed Romana fuit natione. Hic mediocris staturâ, nec fatis longam habuit, nec brevem tenuit. Optimus corpore, nec macilentus, nec multum pinguis. Crispum (1) capillis capitis, canitie mixtis. Post B. Petri amissionem, opus inconsummatum, quod reliquerat, idest Ecclesiam B. Severi Confessoris ille consummavit, & usque ad effectum perduxit, & Corpus B. Severi Confessoris in medio dedicavit Temple mira magnitudine visibus ornavit. Sublatum est ab eo sanctum Corpus de Monasterio Sancti Romuli, quod ad ipsius Ecclesiae latus solum est virorum parte, & in media Ecclesia collocavit. Temporibusque istius mense Januario apparuit Stella Cometis manè, & vesperè, & in ipso mense praedictus defunctus est

D Pontifex, & sydus recessit. Iste, ut dixi, Romae natus, ab ipsa Sede, hic missus doctrinam Apostoli instantè praedicabat, & ut omnes à peccato se averterent. Postquam autem obiit hic Beatissimus Johannes die XI. mense Januarii, sepultus est in Ecclesia B. Apollinaris civitatis Classis extra muros in Monasterio SS. Marci, Marcelli, & Feliculae, quod ipse à fundamentis aedificavit, & tessellis decoravit, & omnia consummavit; & super valvas dicti Monasterii versus metricos invenietis, continentes ita;

E Inclyta praesulgens Sanctorum limina Templi  
Marci, Marcelli, Feliculaeque simul.  
Pontifices vos Roma cepit, haec Martyr habetur,  
Horum Gregorius dat Papa reliquias;  
Quas petit Antistes meritis, animoque Johannes  
Parvula pro summis reddere dona parat.

Ora-

(1) Crispus, Mur.